

1

PRÆCLARISSIMI
MATHEMATICI, IOANNIS
DE MONTE REGIO SVPER TORQVETO
Astronomico Instrumento, ad Reuerendum Do-
minum Ioannem Archiepiscopum Strigo-
nensem, Problemata x x i.



V I Astronomicis student exercitijs, duplex Instrumentorum genus uersare soliti sunt. Habent enim genus quoddam portatile, quod uidelicet contrectari potest, ubicunq; collibitum fuerit, nunc quidem sub diuo, nūc autem in loco quolibet occluso, ad quem stellarum radij penetrare nequeunt. Quale est opus Albionis, Sphæræ solidæ, Aequatorij, Saphææq; & Astrolabij uulgaris, Quadrantisq; horarij & Cylindri, ac cætera huiuscemodi. Regulæ demum Hipparchi, quibus ipse diametros luminarium permensus est, ueluti Ptolemæus sectator eius commemorat, & Proclus in astronomicis suppositionibus refert. Quibus adnumerari potest Archimedis, quod in epistola de harenæ numero opusculum breuiter exponit. Aliud uero genus Statarium rite nuncupabitur, quod nisi sedem firmam habeat, nulli, aut paruo admodū usui est, ueluti Astrolabiū Ptolemæi annulare, cui ab armillis nomen uulgo inditū est. Item Regulæ eius magnæ, reliquaq; duo Instrumenta, quorum & fabricam, & usum in exordio magnæ cōstructionis tradidit. Talis quoq; est machina collectitia Gebri Hispalensis industriæ admodum contexta, quippe quæ omnia Ptolemæi instrumenta iocundo quodam compendio mirificè complectitur. Solaria deniq; quæ ad usum popularium exhibentur huius generis limites, haudquaq; effugiunt. Illis atq; alijs huiuscemodi quod à nobis uersabitur Instrumentum aggregamus, cuius compositionem quidem literis alibi mandare con-

b filium